

DISPUTATIO INAUGURALIS
PHYSICO-MEDICA

32
9 18
1681, 1

DE

CALIDO INNATO

SEU

SPIRITU CORPORIS VITALI

QUAM

PROVIDENTE NUMINE SUPREMO
JUSSU ET AUTORITATE

AMPLISS. EXCELLENTISS. ET GRATIOSISS.
MEDICORUM ORDINIS

IN CELEBRI ET PER-ANTIQUA
RAURACORUM ACADEMIA

PRO

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS
PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS

RITE ET LEGITIME
OBTINENDIS

SOLENNI PHILIATORUM EXAMINI
SUBMITTIT

MICHAEL PAULI
LUBENA-SILESIUS

AD D.VI. JUNII A. O. R. M.
M. DC. LXXXI.



BASILEÆ TYRIS JACOBI BERTSCHLI



VIRO
DOCTO, PIO, ET CHARO,
DN. DAVIDI PAULI, &c.
IN
PUBLICUM
FRATERNÆ FIDEI
TESTIMONIUM
SPECIMEN HOC INAUGURALE
OFFERT ET DEDICAT
AUTOR.





P R O O E M I U M.



Vi philosophandi libertatem veritatemq; ambiunt, ejusq; in explicandâ Natura historiâ rationem habere student, illis nullius vel levioris saltem absurditatis accusari poterit sententia, qua omnium omnis Regni corporum naturalium principia, prima & vera, in triplici statu, mansionis nempe, progressionis, & conversionis, consideranda proponit. Etenim, singulis diebus, mensibus & annis visui nostro obtingunt ortus rerum & interitus, generationes & corruptiones, ideoq; certos necessum est dari terminos, certas matrices, seu receptacula, intra que vitalia earundem principia asserventur, ex quibus progrediantur, & ad qua iterum remeent. Illas verò matrices ob entium horum continuam propagationem summè stabiles, centroq; sphaera cujusdam comparabiles esse oportet, & ob id elementorum nomen congruè sortiri reor, in quibus vi benedictionis, voluntatisq; divina immutabilis, virtutes seminaria seu causa conservatrices potentiarum & effectuum resident, unde ex implantato constantique ad misionem desiderio, generationis ergo, in hanc nostram sphaeram descendunt, & quò iterum post resolutiones corporum invariabili constantiq; natura providen-



*tis lege abeunt, talique modo per Systolen quasi & Diastolen Mundum eternare jubent. Quae opinio, licet vulgari-
 bus Physicorum scholis inaudita videatur, multorum
 tamen tam ex antiquis Platonis Affectis, quam hodiernis
 per ignem & rationem Philosophis, patrocinium meretur.
 Proinde, cum eadem & mihi arrideat (qui recte quidem
 immaturioris, talibusque censendis adhuc imparis, liberrimi
 tamen, nullique vel philantiae, vel auctoritati mancipati
 iudicij aestimor) ex eodem fonte Spiritum hominis vi-
 talem seu Causam Efficientem vitae hominis animalis de-
 rivare audeo, cujus essentiam, originem, proprietates, of-
 ficia & affectus in Dissertatione hac Inaugurali, simpli-
 ci sermonis habitu candida disquisitioni tradere consti-
 tui. Deo hinc supplicare maximum erit, ut laborem hunc
 in magni sui nominis gloriam, aegrorum salutem, bonamque
 mei apud Viras doctos notam, evenire jubeat.*

§. I.

Onomato-
 logia exhi-
 bens Ho-
 monymia
 vocabuli
 Spiritus.

Etymolo-
 giam Spiri-
 tus vitalis
 in corpore.

Synono-
 miam juxta
 Philosoph.
 Sectas.

Priusquam vero realem de Spiritu nostro proposito tracta-
 tionem suscipiam, nominalem, licet paucis, methodus
 expedire jubet, ubi vocis spiritus *δμοιονυμος* consideratae
 summa latitudo occurrit, ita, ut alius sit spiritus pneuma-
 ticus, alius physicus, alius artificialis, s. chymicus; ille vel
 infinitus, Deus, vel finitus, genius & anima rationalis; iste,
 coelum astrale, aether, & spiritus singulis corporibus natura-
 libus vitalis; hic, quilibet liquor subtilis, summe mobilis, &
 evaporabilis in auras, nuncupetur. Inter quos tamen solus ho-
 minis Spiritus vitalis nostrae considerationis subiectum per-
 manet, qui ob summam subtilitatem, mobilitatem, sereni-
 tatem, agendique velocitatem Spiritus, ob vitam vero, quam
 tum ipsemet ceu substantia sustinet, tum corpori, quod sibi fa-
 bricat, impertit, vitalis, dici meretur.

II. Sed cur idem hic spiritus tam multa diversaque ap-
 pellatione Philosophis veniat, ex perspecta horum intenti-
 one varia, optime liquet. Platonici constantriam mundi cum
 Archetypo trutinantes, causam quandam feminum confer-
 vatri-



vatricem statuere necessum habebant, quam in quovis Regno feminalem materiam vocabant. Aristoteles & Paracelsus generationum causas & modos contemplati, advertentesque, nudas elementorum qualitates tam augustis officiis esse impares, materiam quandam rationibus & signaturis seminalibus instructam, confessi sunt, huic principium vitale, illi corpus quoddam divinum, subtile, purum, mobile, dictam. Secretiores Philosophi Hermetem secuti, cunctaque corpora ex puro & impuro f. perenni & corruptibili conflata esse experti, illud crystallinam quandam materiam, quintum Elementum, Essentiam, Balsamum f. Mumiam & centum hujusmodi nominibus à naturâ & excellentiâ ipsius rei petitis, salutabant. Reliquis Medicis & Institutionistis, vel à sensibus externis, vel proprietatibus, & actionibus, ut plurimum, calidum nativum, & influens, lumen, flammula f. Igniculus vitæ, dicitur.

Institutionistas Medicos.

III. Quæ vocabulorum *Ἀκροβολογία* licet longius possit extendi, eam tamen ceu inutilem negligere, ejusque loco existentiam nostri Spiritus planam certamque reddere præstat, quò postea ejusdem natura eò felicius pleniusque innatescat. Probo verò illam, (1) à necessitate unionis Animæ rationalis cum corpore, quæ sine medio fieri nequit. Nam inter materiale seu corpus crassum, & immateriale, seu verum spiritum, nulla est proportio vel aptitudo ad conjunctionem, nisi interveniente quadam copulâ, quæ mediæ habeatur naturæ, uniusque extremi ad alterum, transitum promoveat. (2) A sensuum testimonio: deprehendimus enim in toto nostro corpore calorem, qui est nuda qualitas, requirens subiectum inhætionis, cui proximè insit; hoc autem non Animam rationalem, tanquam omnis materiæ adeoque materialium qualitatum quoque expertem, sed aliud quid in corpore, quocumque etiam nomine nuncupetur, dicere fas est. (3) A Brutorum exemplo, quæ Animâ organizante destituta per aliud medium actiones suas perficiant, necessum est, quod vel Animam sensitivam vel Spiritum vitalem seu animale, vocare licebit. (4) Ab unanimi Medicorum consensu, quem ab Hippocrate usque ad hæc nostra tempora demonstrare, esset facillimum, nisi dicendorum amplitudo, calamo bre-

Pragmatologia demonstrans existentiam nostri Spiritus.



vitatem imperaret. Quocirca stabilità aliquantulum Spiritus nostri Existentiã, Indolem ejusdem tali definitione cognoscendam offero : Est substantia materialis, astralis, subtilissima, adeoque summè penetrans & mobilis, vivens & vivificans, omnibusque in corpore actionibus tam Individui quàm Speciei conservacionem concernentibus, unicè inserviens, & ob id Sanitatis, & Morborum subjectum.

IV. Substantia fundamentum non tam ab Asserentium copiã, quàm rationibus ex ipsius substantiæ materiã fluentibus robur accipit. Nam (1) supposito, hominem cum bruto ratione animalitatis eodem, quoad speciem gaudere spiritu, & hunc spiritum esse fabricatorem, seu formam corporis animalis, hinc sano ratiocinio sequitur, illum ipsum esse substantiam, cum substantiarum productio nulli, me judice, accidenti accenseri queat. (2) Illud, cujus beneficio corpus nostrum vivit, sentit, loco movetur, & quoad partium vitam & harmoniam manet integrum, accidens nuncupare, longè absurdus erit. (3) Ipse corporis interitus, qui hujus Spiritus dissipationem immediatè sequitur, eundem ab accidentium sorte vindicabit.

Materiali-
tis.

V. Materialitatem, licet hæc olim ab Origenistis impugnata fuerit, nobis, cum pace omnium hodiernorum Philosophorum defendere, tutum erit. (1.) Dependencia hujus spiritus à materiã quoad esse, fieri, & operari, imponit necessitatem, ut idem quoque sit materialis. (2.) Coextensio ejusdem cum toto corpore magnum materiæ parit patrocinium; illa verò imprimis constat, quod plures, diversosque actus animales simul à diversis corporis membris ac partibus edicernamus, e. g. eodem momento oculus videt, auris audit, nares olfaciunt, & membra quævis exteriora tactus sensum, motumque exercent; interiora quælibet viscera, ac præcordia munia sua exequuntur, adeoque nil aliud arbitrandum videatur quàm hujus spiritus portiones plures, singulas has corporis partes, quamlibet pro officii sui jussu actuare; (3.) Nec minus lucis eidem fœneratur animalculorum quorundam, puta Lumbricorum, Angvillarum & Viperarum &c. etiam post dissectionem motus & sensus spectaculum: cum enim in his liquor vitalis viscosior, minorisque rarefactionis existat, fit,
ut quæ-

ut quælibet membra discissa, ac ab invicem seposita propter inhærentem adhuc spiritum se moveant, certè non citra illius cum corpore divisionem. (4.) Si actiones determinant qualitatem essentiæ Agentis, & quidem immateriales Animam rationalem immaterialem, sine controversiâ, ex opposito, materiales, Animam sensitivam s. Spiritum vitalem determinabunt materialem.

VI. Astralis autem hujus natura s. Identitas cum luce astrali, probatu est difficillima, non tam propter inexplicabilem ipsius rei difficultatem, quàm Philosophorum de hoc attributo vel profundum silentium, vel tædiosum dissensum, vel sententiæ obscuritatem, vel apertam ejus negationem. Plurimi tamen Veterum Spiritum nostrum vocitarunt ignem, aut igni quoddam simile, ut Hippocrates, Plato, Pythagoras, Galenus, cum multis aliis. Quibus & moderni, Fernelius, Heurnius, Hogelandus, Cartesius, & Honoratus Faber, assentiuntur, intelligendo, non culinarem seu elementarem, sed æthereum, seu supraelementarem, & in potentiâ ignem, ut patet ex Aristotele dicente: inest in semine omnium corporum, quod eadem reddit fœcunda, & calidum dicitur; idque non ignis, nec talis aliqua facultas, sed spiritus est, qui in semine spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in isto spiritu est, respondet elemento stellarum, seu convenit cum astris essentialiter.

VII. Quod, cum à priori demonstrare non satagamus, ne falcem in aliorum messem misisse videamur, à posteriori exactum dare poterunt (1.) Proprietates Solis celestis, quæ sunt, radiatio, illuminatio, & circularis motus, Spiritui nostro vitali, communes. Hunc enim radiare, testatur calor in toto corpore sensibilis, qui est qualitas, dependens à substantia quadam lucidâ, motâ & radiante; testantur quoque Sympathia & Antipathia hominis, vel cum homine, vel bruto, vel alio corpore naturali, quæ nihil aliud sunt, quam spirituum ex utroque radiantium collisio seu mutuus amplexus, si similes fuerint, seu mutua fuga, si dissimiles. Nec minus validum radiationis argumentum præbet tum perpetua corporum exspiratio & transpiratio, dependens à spirituum activitate radiosâ, tum contagiorum qualiumcunque ex uno corpore in aliud

Astralis In-
dolis.

Applicatio-
ne Solis ce-
lestis pro-
prietatum
ad spiri-
tum.

aliud

aliud transfusio, quæ per radiationem fiat, necessum est. Præ-
terea, membra dislocata non solum crescere cessant, sed in-
super decrescunt, etiam in adultis; adhæc gibbosi quoque
crescere desinunt, licet vertebræ sensim distortæ, tantum pro-
tuberent extrorsum ad latus: utrumque ob nullam aliam ra-
tionem, quàm spirituum radiationis seu influxûs in me-
dullâ spinali vel nervis ex vertebrarum mutato situ factâ ob-
liquitatem, qui tamen rectâ instar fluentis lucis in partes ten-
dere, requiritur. Unde & vim seu potentiam illuminandi Spi-
ritûs nostri, tam Authoritas, quàm Ratio, & Experientia facile
vindicabit. Bartholinus & Helmontius eundem appellant
lucem & lumen, cui luminositas concessa per accensionem
non quidem igneam, sed illuminativam. Willisus eun-
dem sub schemate ignis vel flammulæ gliscentis concipit,
licet non quoad externam candicantiam & rutilatio-
nem illi similis defendi queat. Clariùs verò hujus attributi
veritas ex ipso corporum vivorum aspectu sensuumque exa-
mine emergit: dum vita præsens, corpora observantur trans-
lucida, unde causa illuminans in iisdem haud absurdè sup-
ponitur; exemplo sunt Animalcula quædam vel per micro-
scopia seu naturalem oculorum aciem pellucida observata,
manifestè, Cicindelæ & Antillarum Insularum muscæ lucen-
tes, aërem noctu illuminantes. Quin corpus nostrum, licet non
æquè transparens ob crassiorem, radiosque luminosos non
apertè transmittentem corticem, habendum sit, sensu tamen
visûs seu actu visorio, qui, cum radiorum lucidorum emissionem
& specierum visibilium receptione perficiatur, lumen illumi-
nans requirit, luculenter suam demonstrat illuminationem.
Exemplo sunt noctambuli, inoffenso pede oberrantes; nec
non propria in quolibet homine oculorum excintillatio, vel
in morte caligo ex luminis vitalis privatione oriens; insuper
& somnia, in quibus animal in spirituum lumine innumeras
rerum Ideas revidet. Et quæ ratio exstaret visceris cum visce-
re, partis cum parte, consensûs, vel, subitæ per remedia in to-
to virium factæ refectionis, nisi ab Illuminatione quâdam pe-
teretur. Spiritus enim ventriculi (intellige eundem vita-
lem, muniisque tantum partium diversum) generoso medi-
camento alimentove adjutus & roboratus, instar expansi lu-
minis



minis in instanti illuminat Cor, Caput, Uterum, Renes, eorumque Spiritus, ad quas partes actualis medicamenti distributio tam citò absolvi nequit. Agi denique Spiritum nostrum cum Sole macrocosmico in circulum, tanto rationum & demonstrationum robore firmavit *Harvejus*, ut nonnisi hospiti in rebus anatomicis vel minimus dubiorum scrupulus de eodem superesse queat.

VIII. (2.) Harmonia Superiorum & Inferiorum, & illorum in hæc haut obscurum Regimen, alterum pro astrali subjecti nostri naturâ præbet argumentum. Illam non modo *Tabula Hermetis Smaragdina* ingeniosè exprimit, sed multa quoque ex sublunaribus spectatum offerunt. Etenim inveniuntur plantæ, quæ partim Solisequæ, partim Lunæ filii appellantur; illæ, quod capita Soli obvertant, motumque, etiam nubilo die, ejus imitentur; hæc, quod similem Lunæ orbem capitulo suo repræsentent, & cum eadem incrementum nanciscantur, & intereant. Cancros in plenilunio plenos, in novilunio vacuos scimus. Et quæ ratio superesset persolvendi à foeminis deficiente Lunâ tributi, nisi quod Plethoræ in plenilunio cumulatae separationem ultima Lunæ quadra quoad partem in iisdem perficiat. Mare, cum Luna ad culmen diei ascendit, affluit, & intumescit, ad occasum verò cum pervenit, detumescit & refluit. Magneti cum stellâ Poli arctici tantus amor est, ut ab unâ parte semper ad septentrionem respiciat. Aurum eundem respectum ad reliqua metalla, quem Sol ad cæteros Planetas, obtinet, & ob id omnium quoque complementum, ut Sol hujus universi, possidet, unde & eodem signo hieroglyphico Philosophis utrumque notatur. Ut taceam alia terrena corpora quæ vero Philosopho Tincturas Astrorum exhibent. Regimen dehinc superiorum in nostram Sphæram luculentissimè patebit, si generationum & corruptionum in quolibet Naturæ Regno Individualium status, tempora, ordines, & leges, quas majora duo Lumina cum toto cælo sidereo, quâvis anni parte, quovis mense, die, & horâ, determinant, & constantissimè servant, diligenter attendimus, ita, ut fusiori diductione hîc jure supersederi posse, putemus. Jam verò tùm Harmoniam, qua superior & inferior mundus connubia jungunt, tùm obsequium,

Harmoniâ
super. & in-
fer. illorū-
que in hæc
Regimine

B

quod



Subtilitatis
& Penetra-
tionis.

quod illi regenti hic perpetuò præstat, non aliunde, nisi ab utriusque mutuâ virtutis vibratione, simili recipiendi dispositione, denique essentiæ & in agente & patiente, licet non quoad totum, tamen quoad partem, vitalem scilicet similitudine derivare, ideoque Spiritum nostrum in eundem cum Astris quoad materiam censum, referre licebit. Et hâc ratione reliquæ affectiones, ut subtilitas, penetratio, summaque mobilitas eò felicius faciliusque comprobari poterunt. Illam maximè arguit invisibilitas, quam omnes extensi ignes, qualis est noster spiritus, omnium confessione sibi attribuunt. Ut taceam tum ministeria, quæ hic Animæ rationali præsidi inservit, ideoque simplicioris naturæ esse, tenetur; tum facilem ejus per corporis poros expirationem & dissipationem, quæ propterea subtilitatem & teneritudinem contingit. Penetrantiam verò hujus, summamque mobilitatem partim ex vitâ ipsius inferius probandâ, vitalique omnium in corpore functionum exercitio, & consequenter penetranti & pernici motu, plenius discemus.

Explanatio
sententiæ
plexior.

IX. Ne verò quis sibi persuasum habeat, nos Solem & Lunam vel aliam stellam, proximum vitæ nostræ statuere Autorem, interest, ut initium & incrementum Spiritus nostri unâ cum habitudine & inclinatione, quam hic ad corpus sustinet, pro virili investigemus. Creatorem Deum tam corpora quam corporum vitas ex uno isto chao per voluntatem suam omnipotentem produxisse, certum est; Is verò secum constituens, ab ejusmodi immediatæ creationis actu in posterum abstinere & quiescere, creatis talem potentiam, amplificationis imperio, elargiebatur, quâ species quælibet novâ semper individui successione perpetuare valeret, & illa nihil aliud esse poterat, quam facultas generandi semen, & libido, seu appetitus, cum femine traducendi spiritum, vitæ specificæ propagatorem, adeoque continentem in se corporis, cujus est, imaginem & notitiam agendorum dispositivam. Et hac ratione à Protoplasto Adamo mediata nostri incepit creatio seu generatio, duratura ad mortalitatis usque postscenium. Lineamentis enim corporis satis protractis, vitæque ambitu in nobis completo, Spiritus vitalis (aliis animalis, quin & naturalis pro lubitu dicendus) ab individuali opere su-

re superstes, cum humore subtili ad partes genitales, tanquam promptuarium speciei propagandæ destinatum, secedit, ibidemque animalis ideam effingit, in matrice idoneâ postea efformandam. Cùm verò sibi ipsi non sat potens propagationis conceptum ordiri recuset, roborandus est tum novo ex paterno, tum obvio ex materno, in utroque subjecto per congressum convocato, spiritu, ut deinceps, ceu fortior, liberiorque flamma in substratam materiam uteri seminalem agere, & providente Deo, corpus aliquod secundum impressum typum formare valeat. Unde non malè generatio Helmontio dicitur, fluxus seminis ad perfectionem, maturitatem proprietatum, explicationem occultorum, & consummationem ad suos fines, suppeditato scilicet tum pro corporis fabricandi incremento, tum ipsius spiritus fabricantis extensione, ex sanguine materno, materia & fomite.

X. Dices, nullum proinde à Cælo astrali ad hoc generationis negotium dimanare commodum? Respond. sat commodi & foetum intra uterum, & adultum extra eundem inde delibare, si omnia accuratius & juxta naturæ modum pensitentur. Non enim sufficit, scholas docuisse, alimenta primò in chylû, dein in sanguinis chymum, fermento quodam digestivo transmutari, adeoque in hepate spiritum naturalem fieri, qui novâ in corde digestionem in vitalem, & tandem in cerebro in animalè abeat; quin potius illæ, Spiritus vitalis, qui unus idemque est cum reliquis, quid ditatem scrutari & detegere debuissent, & tunc omnino de magis adæquato & proprio Spiritus nostri alimento fuissent, sollicitæ, quod nos ex aëre astrorum effluviis impregnato & ob id aurâ vitali dicto, deposcimus. Concesso enim, quamlibet plantam, quemlibet fructum & liquoré continere in se, quod reficiendæ vitæ aptum, illud tamen pro conservatione Spiritus nostri citissimè & indefinenter movendi, continuoque hinc propter summam subtilitatem dissipabilis, solum sufficere nequit. Rectius proinde quid meditamur & circumspicimus, quod continuam virtutis vitalis emanationem continuâ iterum irroratione suppleat, Ad id verò nil aëre aptius scimus, quippe in eo occultus vitæ cibus residet, ut Cosmopolita ait, ob radios astrorum, quos hic immediate excipit, vivificos: is continuo inspiratus sanguinem no-



strum, pulmónes assiduè respirantes perreptantem, & in hoc ipsum vitæ Spiritum, subit & intrat; sine eo vitam protrahi non posse mechanicè hodierni demonstrant Philosophi, certè propter deficiens cum aëre vitæ nostræ pabulum. Et si alicui assertio hæc videtur dubia, ille contempletur mundi Palingenesiam, quæ tempore vernali incipit, utique ob communicatam noviter à Sole & aliis astris per aërem germinandi & reviviscendi virtutem. Ut taceam mineralia, quæ & principium & complementum ab Astris sortiri, chymici norunt, inter quos *Nysement* Solem vocat metallorum parentem, continentem in se aurum & argentum spirituale, quod prima materia seu forma primæ materiæ auri & argenti corporalis est, ab aëre medio recepta, & ob id à Raymundo Lullio Mercurius aëreus appellata. Quidni proin in ordine Creaturarum animalia quæque, & ipse homo eadem felicitate, eodemque jure, per aërem vitali siderum influxu, gauderet, cum quicquid boni & salutaris à Deo fuerit productum, in & propter hominis salutem sit. Et si aër impurius, h. e. Martialibus vel Saturninis effluviis replétus Spiritum nostrum offendit, turbidumque reddit, quare purior, h. e. Solaribus & Jovialibus radiis illustratus eundem non reficiat & oblectet? Hinc pro certo supposito vitæ nostræ ex aëre nutrimento, clarissimè patet, Astra, præcipue Solem & Lunam, ad vitam tum fœtus per sanguinem maternum, tum hominis adulti per inspiratum aërem, largiter sua conferre symbola.

Vitæ Spiritus proprie

XI. Alioquin non negandum, Spiritum nostrum propriam in Semine, ut superius jam innui, sustinere vitam, quam demonstrat ipsemet tam turgescentiâ genitalium & libidinis æstro, quàm violentâ, subitaque eruptione in uterum, eamque insequenti statim materni totius corporis mutatione, quorum nil sine Spiritûs tunc genitalis dicendi, motu, accidere potest. Vel, si hæc enarrata Spiritum nostrum non satis comprobant vivum, probabit certè ipsa in utero generationis fabrica, ante cujus vel prima stamina in punctulo seu cicatriculâ seminali, is pulsans micansve Harvæo oculato pluries visus est, nec citra rationem: quod enim corpus quoddam disponere, efformare & vivificare debet, ipsum & prius



prius vivat, opus est, cum causa semper antecedere debeat effectum, vitamque illius, hujus constituere naturam. De cuius vitæ certitudine hinc non amplius dubii, quidditatem ejusdem meritò investigare conamur. Paucos verò vel neminem Veterum seu Medicorum, seu Philosophorum in hac punctum tetigisse dicendum, quod quidem vitarum in rebus genera, nullius verò distinctam propriamque essentiam docuerint. Nos cum Helmontio vitam, quâ ipse Spiritus vivit, definimus Lumen & Initium formale, quo is agit, quod agere jussus est; vitam autem, quâ corpus nostrum iste informat & activum reddit, cum Wirdigio, Medico Rostochien- si celeberrimo, & cum notissimo Noricorum Æsculapio, dici- mus illius Luminis radiantis in totum corpus influxum, & cuilibet parti per hunc concessam, ad actionem designatam exercendam, ἐνέγγετασιν. Prioris veritas in natura Spiritûs lu- cidâ & astrali, quam suprâ probavimus, fundatur; postero- ris argumentum ex ipsâ vitæ indole fluit, quæ scilicet in motu consistit, & per motum sese exerit; Testantur hoc (1) vita nostra quæ motu incipit; (2) quicumque languo- res, deliquia, & somnus, in quibus ob deficientem aliquate- nus luminis vitalis motum vel mortui vel mortuis similes habemur. (3) Ipsa mors, quæ nil aliud, quàm surreptio in- fluxûs luminis moventis, & motûs insequens cessatio, quod vulgo notum, cui id emortuum & cadaver dicitur, quod moveri desit.

XII. Medium autem, quo Spiritus noster in corporis vivificatione utitur, est humidum quoddam, tum primoge- nium, tum influens dicendum, illud, quo fœtus formatur, hoc, quo nutritur & conservatur, utrumque tamen quoad essentiam unum idemque, juxta Helmontii effatum: agno- sco quidem humidum feminale primogenium nostri consti- tutivum, sed ejusdem prorsus speciei, proprietatis & iden- titatis cum eo, quo crescimus & incessanter deinceps alimur. Quanquam controversiam hanc optimo jure præterire possi- mus, cum intentioni nostræ jam satisfiat, si humidum quod- dam virtutis vitalis, ut aër influentiarum astralium, vehicu- lum concedatur, Paracelso Mercurius aëreus, dictum, quod à Spiritu vitali illustratur ejusque per hunc influxu totum corpus informatur & conservatur.

Vivifica-
tionis me-
dium.



Causæ Sa-
nitatem ef-
ficientis
proximæ.

XIII. Et hac ratione ab eodem Spiritu sanitas quoque corporis nostri erit expectanda. Quemadmodum enim vitam diximus motum seu Spiritus laudati plenam radiationem, ita sanitatem, motus illius debitam qualitatem, dependentem à Spiritu nostro naturaliter constituto, quoad qualitatem, quantitatem & circumgyrationem, dicere poterimus. Qualitatis ratione is debet esse serenus seu raro lumine expansus & tenuis, quo corpora illuminet & penetret non secus ac ignis ferrum candens; debet esse purus, simplex, homogeneus, nullam admittens heterogeneitatem seu gas Helmontij sylvestre, & peregrinum. Ad quod non parum facit humidus ejus naturalis indoles, quæ consistit in dulcedine salinâ seu sacharinâ falsedine juxta experientia & chymistarum testimonia. Dulcibus quippe nutrimur & afficimur: qualia sunt tum potulenta, vinum, cerevisia, mulsum, lac, lactis serum & spiritus vegetabilium cum oleis: tum esculenta, animalium carnes, herbæque alimentares. Sic quolibet arborum fructus tum demum maturos judicamus, cum pulpa eorum acerba, amara & immitis dulcescit, sic peritiores chymici per suum liquorem alcahest, Spiritum dulcem & balsamicum ex rebus separare contendunt, qui Spiritus nostri convenientissimum nutrimentum, & Medicina. Quantitas respicit debitam Spiritus nostri cum humido suo proportionem, sufficiensque robor ad omnis generis in corpore edendas actiones. Motus verò circularis tam ad luminis vitalis influxum, in quælibet corporis, quod Mathematici sphericum demonstrant, organa & partes, quàm ejusdem in corde & pulmonibus continuam instaurationem, requiritur. Ubi igitur, & quamdiu talis Spiritus nostri constitutio, insimulque debita humidus vehementis temperies, decensque organorum situs & constitutio conspicitur, sanum atque potens animal censendum, ad omnium actionum naturalium in corpore exercitium.

Morborum

XIV. E contrario deficiens in prædictis proprietatibus & qualitibus, idem Spiritus, fit causa ægritudinis & seminarius morborum & Symptomatum, teste etiam ipso Galeno, qui morbum definit per *Διάθεσιν τῆς φύσεως*, puta, Spiritus vitalis, tanquam subjecti, ob quam actio in corpore vitia-



vitiatur. Quod & Helmontius attendens dicit: morbus in nullo alio sedet, quàm in morborum omnium Fonte, Principe ac Rectore, uno nomine, Archæo, & quidem invitante Hippocrate, qui motum omnem ad morbum, mortem & sanitatem efficienter fieri ab impetum faciente spiritu, perhibet. Quà de causâ subjectum morbi immediatum congruè ponemus Spiritum vitalem, mediatum verò cum pluribus tam ex antiquis quàm modernis Medicis, corpus vivum; morbusque tanquam oppositum sanitatis erit vitæ integritatis diminutio, habitans intra capsam Archæi, audiet; ast Symptoma erit actio concomitans seu resultans ex invitâ Spiritus exorbitatione vel variâ alteratione & debilitate ortis, ex conceptâ injuriâ, quâ causæ occasionales eidem faciunt. Id quod brevi delineatione ad macrocosmici luminis mutationum genera exponere libet, constituendo prius duas morborum classes, quarum una morbos formæ, altera morbos materiæ continet, illi à præternaturali spiritus constitutione, fundatâ in vitiosa ejusdem qualitate, quantitate & motu proveniunt, hi autem à fordibus seu humoribus excrementitis dependent, quos spiritus vitæ infensos sibi que infunctionibus molestos sentiens, expellere nititur, adeoq; iisdem multorum malorum deinceps causa existere valet.

Morbi Subjectum.

Morbus quid?

Symptoma quid?

XV. Quemadmodum Macrocosmi vigor & amœnitas ab expanso, nec ullatenus impedito lumine solari exurgit: ita & microcosmi salus & alacritas à Spiritus nostri, astris analogi, sufficienti eradiatione, lucisque puritate dimanat; è contrario Sole cœlesti nubibus obvoluto vel à Lunâ impedito, illius Eclipsis, tristisque aspectus sequitur: sic Spiritu nostro partibus surrepto, represso, obtenebrato, mœrores, languores, stupiditates, affectus soporosi, apoplexia, timores, tristeque delirium, nobis obrepunt. Interdum nimium Solis regimen æstuosum, plantas terræ adurit, leguminum radices exurit, terramque exsuccam & infœcundam reddit: quis Spiritui nostro ab extrinseco augmentum denegabit, quo homines is febrium æstu, morbisque aliis calidis cum magnâ symptomatum congerie, siti nempe continuâ, vigiliis pertinacibus, atque deliriis cum atrocitate, vexat. Tempore brumali, cum minor radiorum Solis efficacia propter obliqui-

Morborum Formæ explicatio juxta Mutationes solis cœlestis.

liquiditatis punctum, adeoque Luna potius cum peioribus reliquis Planetis Mundo imperat, cuncta deflorescere, marcescere telluremque quasi emori conspiciamus: similis defectus lucis quoque vitalis vel in senio vel post magnas evacuationes contingens, similes quoque parit affectus, lypothymiam, syncopen, ἀσφυξίαν, debilitates sensuum internorum & externorum, atonias concoquentium & digerentium viscerum, adeoque cachexiam, inappetentiam, lassitudinem, pallorem, horrorem, rigorem, hydropes, scorbutum, paralyfin, & multa alia hujus farinae incommoda. Quod verò morbos ex inordinato Spiritus nostri motu oborientes concernit, illi ad auctam ab extrinseco calore Spiritus nostri flammam, cujus effectus fermè jam ante enarravimus, referri possunt. Ut enim naturalis vitæ calor, quò fortior, èo vegetiores, nobilioresque exercet in corpore actiones; præternaturalis, qui ab accessione elementaris calidi seu externi, ut: insolatione, balneatione, longiore ad ignem morâ, &c. interni à nimîâ bilis effervescentiâ seu ebullitione, originem ducit, motu inæquali & enormontico corpus infestat, variosque sanguinis fluxus, partium inflammationes, catarrhum suffocativum, tumores, & furibunda animi pathemata fabricat. Tandem, ut radii solares, dum nubes petunt contrariæ qualitatis, nitroso - scilicet sulphureas, calore suo fermentativo pugnam excitant, unde fulmina & tonitrua proveniunt: sic Spiritus noster in partes influens obviisque diversæ qualitatis fuliginibus offensus, trepidationes, convulsionesque inducit, quales in horrore febrili, epilepsiâ, melancholiâ, anxietatibus, tremoreque artuum in senibus, quotidie observantur.

XVI. Nunc ad morbos materiæ devenio, qui non in essentiâ Spiritus nostri, ut supra dixi, radicantur, utique tamen ab eodem causam impulsivam seu disponentem obtinent. Hic enim in officinis suis ab humore falso, acido, amaro & sexcentis aliis ab Hippocrate enarratis molestatus, instar luminis rarefactivi Solis, eosdem separare, dispellere, & ceu alienos inquilinos hospitio suo eliminare tentat, & si hoc per naturalia emunctoria præstare impeditur, ipsemet vias, etiam in nobilissimis partibus, ad id perficiendum, affectat,

festat, & parere incipit, eoque pro diversâ partium dispositione & usu, diversa & infinita progignit symptomata. Quæ, cum nimis longum foret, omnia referre, cerebrum, tanquam nobilissimam partem, pro exemplo adhuc examinare constitui. Hoc autem quamplurimis, iisque præcipuis seculi nostri Medicis sentina quasi plurimorum morborum staturitur, nec sine ratione: si enim emunctoriorum, quibus gaudet, numerum expendimus, facile in morborum copiâ, quam vel eorundem obstructio vel alio modo prohibitæ per eadem sordium expurgatio suscitare valet, illis sustragabimur. Obturato recenter osse cribroso, dolores in fronte sentiuntur, si verò serosa ista humiditas diuturniorem in cerebro moram trahit, cephalæa, aliæque doloris capitis species oriuntur, vel si acrimoniâ suâ hæc sibi transitum parat, vel per nares destillationes, catarrhi, rheumatis mi, vel per fauces, anginæ, glandularum tumores, uvulæ laxationes, nascuntur. Si tum copiâ tum qualitate humor ejus excrementitius ad oculos mittitur, excludit caligines, extuberantias, phlyctenas dictas, variosque dolores. Si ad aures transfertur, ulcera parit sordida, dolorem, auditum gravem, parotidumque Oedema. Intra maxillas & in ore interno causa existit dentium stuporis, doloris, vacillationis, aphtarum, gustus depravati. Interdum ejus per nucham exitus exitio est homini in apoplexiâ, paralyli, epilepsiâ, spiritu scilicet vitali jam nimium debilitato. Si delabitur antrorsum ad pectus in pulmones, diaphragma, pleuram, quin ad ipsum cor, tussis, phtisis, peripneumonia, pleuritis, hæmoptysis, hectica, deliquia animi, & mille hujus generis alia incommoda generantur. Retrorsum ad orificium stomachi vergens, efficit cardialgiam, vomitus, anorexiam. In intestinis, alvi profluvia, dysenterias: in renibus inflammationes, calculos, procreat. Quod si cerebrum succum nervosum ritè præparare non amplius valet, synovia illa crudior, solitâque suâ dulcedine carens per nervos amandata ad articulos, cum biliosis chyli recrementis, quæ ex musculis eò delata offendit, fermentat, doloremque atrocissimum, nec non tumorem inflammatorium excitat, qui vera Arthritidis essentia dici meretur. Quæ reliqua sunt, diligens lector apud *Charletonem*,
C ex eadem



ex eâdem causâ evolvat, cum animus mihi sit reliquum temporis & chartæ spatium unius morbi spiritualis seu formæ, pertractationi impendere, ne theoreticæ saltem spiritus vitalis considerationi inhærens, de affectu illius p. n. benè iterum curando, nihil dixisse videar.

Febris Ephemera
Nomina &
species.

Simplicis
definitio.

Ejus subje-
ctum.

XVII. Sit autem in præsentiarum instar omnium mihi Ephemera, quæ *Græcis* ἐφήμερα, item πυρετὸς ἐφήμερος, *Latinis*, Diaria Febris, *Avicennæ* spiritualis dicta, simplex est, altera uno die naturali terminanda, altera ad plures dies sæpè excurrens; eamque ob causam in Πυρετὸν ἐφήμερον, Febrem Diariam, & πυρετὸν πολήμερον, plurium dierum, & ἐκτεταμένον extensam, Medicis jure dispescitur, Quarum posterior, cum morbus & formæ & materiæ esse videatur, hâc in aliud tempus reservatâ, priorem, eamque purè spirituales nunc pertractare suscipimus, quæ communiter definitur: quod sit intemperies calida cordis & totius hinc corporis; *Fernelio*, quod sit calor p. n. in Spiritû primùm residens; *nobis*, quod sit Spiritus vitalis à calore externo facta irritatio, exacerbatio, sive juxta *Helmontium*, accensio, & indignatio, & ob id in totum corpus concitator ejusdem motus intra diem naturalem judicandus. Ex quâ definitione, essentiam subjectum & causam efficientem cognoscimus. Subjectum immediatum est Spiritus vitalis, juxta *Galenum*, qui Ephemeram tantummodò per Spirituum passiones describit. Et ratione hujus Spiritus solummodò affecti, febris hæc ab aliis putridis sc. & hecticis discernitur, atque pro ratione formali, diei unius periodum obtinet, Mediatum subjectum primariò sanguis, tanquam diviniore illius substantiæ proprium domicilium, secundariò Cor, & universum corpus compatiens insultum. Efficientem proximam sibi attribuit, Spiritus in sanguine ortus furor igneus, & quidem subitaneus, qui præcipuum quoque talis febris signum habetur diagnosticum, cum non æque in hâc, ut in aliis febribus præcedat vel inæqualitas, vel cibi fastidium vel lassitudo corporis spontanea vel gravior somnus aut frequens oscitatio vel horror, nisi corpus sit cacochymicum vaporibus acris, ob prohibitam ex-densiori habitu corporis transpirationem; præterea urina, colore, substantiâ, sedimento aut nihil, aut minimum à natu-

à naturali differat, pulsus verò non nisi pulsationum frequen-
tiâ, ordinatum sanumque excedat. Quanquam tùm con-
stitutio patientis, quæ sanguinea & cholericæ esse debet, tum
præcedanei à patiente commissi in Diatâ erroris reminiscen-
tia, notitiæque Medico non adeò fallax hujus febris præbere
possit indicium.

XVIII. Differentiæ autem à Causis procatarctis de-
pendent, quales sunt, quæ Spiritus nostri thymosin, & or-
gasmum concitare & exasperare valent, ut solis æstus, æris-
que ambientis fervor, qui Spiritum nostrum in fortitudine
exaltant, liberiolemque ei motum conciliant: labor vehe-
mens, vigiliæ, inediæ, quæ depopulando humidum natura-
le largiorem Spiritus exspirationem promovent: Animi
commotiones vel ex irâ, effusoque gaudio, (quæ cum sangui-
ne ipsum Spiritum mire agitant) vel ex curis, tristitiâ, & ti-
more, quæ Spiritum functionibus partium avocando & quasi
convocando intra sinus cordis, eundem æstare faciunt. O-
mnium autem gravissima causa dici meretur cruditas ab in-
gestorum vel nimiâ copiâ vel Sulphureitate pronata; Spi-
ritus enim noster vitalis tantum ex alimentis in sui conserva-
tionem assumit, quantum sibi assimilare valet; citiori ve-
rò copiosiorique factâ ingurgitatione quasi obrutus & obse-
sus, digestiones negligit, massamque crudam suæ naturæ
inutilem & molestam cum impetu ejicere conatur. Cui &
annumerandæ evacuationum consuetarum in corpore sup-
pressiones, vel alvi & urinæ, vel sudoris & halitus vel men-
struorum & hæmorrhoidium; omnes vaporibus suis ex re-
tentione materiæ fermentantis ortis Spiritus nostri circulos
turbare, motûsque ejus intemperiem inducere valent. Alio-
quin Autores quidam adenum, maximeque inguinum Tu-
mores atque Bubones hûc quoque accersunt, quos febrim
semper comitari scio, quam tamen ex putredine inflammante
ortam vel in putridarum vel symptomaticarum censum, cum
Casparo Hoffmanno, relego.

XIX. Nostræ autem febris natura probè perspectâ, e-
ventus qualitas sponte in apurum venit: dum scilicet, in beni-
gnarum classem refertur, benignum quoque naturæ auscultat
judicium. Solvitur verò vel cum sensibili sudore aut rore,

vel insensibili halitū, citra omnem perturbationem, residu-
amque pulsus *αἰσθησιμίας*. Interea tamen patiens sit minus
securus, quia à permutatione hujus febris vel in Synochum
simplicem vel putridam nunquam penitus est tutus, præpri-
mis, si prudentis Medici consilium, auxiliumque in illâ de-
trectat. Quâ de causâ vocatus Medicus, circumspēctius dili-
gentiusque id exequetur, quod indicationes agendum, ei-
dem imperabunt. Capienda autem auxilia secundum in-
dicationes 1. Curatoria, 2. Præservatoria, 3. Vitalia ex triplici

Modus
Curandi &
Auxiliorū
species.

Medicinæ fonte, Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico.

Ex Fonte
Chirurgi-
co.

XX. Cum verò in febribus spiritualibus nihilo magis
sit studendum, quam causæ occasionalis Spiritum nostrum
qualitate suâ extrinsecâ in furorē agentis exturbationi, quam
Spiritūs tumultuantis quies spontè sequitur, pristinumque
juxta Helmontium potestatum vitalium temperamentum,
hinc in corpore plethorico præsentaneum præstabit reme-
dium V.S. si non in causa penitus removendâ, corpore tamen
deplendo, adeoque magnum levamen naturæ medicatrici
afferendo. Scio quidem Helmontium in hoc remediorum ge-
nere obstrepentem, quod scilicet virium vitalium eo contin-
gat prostratio, quæ tamen potissimum polliceri debent præ-
sidium; at verò, ut sæpè nimia militum copia in obsessâ ur-
be vel ob annonæ caritatem, vel angustius militandi spa-
tium vel alia incommoda, viam quasi hostibus sternunt fa-
cilius citiusque eam expugnandi: sic Spiritus noster concita-
tiori motu incalēfactus, & extensus, sibi ipsi in sua œcono-
miâ impedimento fit, quo minus efficaciter in materiæ ho-
stilis expulsionem insurgere, vitæque integritatem servare,
vel reducere queat. Ad hæc allatum plurimis ægris sangui-
ne misso auxilium, aliis è contrariò illatum eodem retento
nocumentum, luculentius nostram probabit sententiam. In-
terim in hâc Febre, si patiens V. S. abhorreat, eandem ta-
men præsens plethora vel alia causa, urgeat, cucurbitulæ
scarificatæ illius vicem sustinere poterunt.

XXI. Cæterum, cùm Helmontio ex Pharmaciâ com-
mendamus Diaphoretica, & quidem Præcipitatum Diapho-
reticum Paracelsi, vel quandam universalem medicinam,
quam quis ex singulari Dei bonitate obtinuit. Universalis
siqui-



siquidem est, qui laborat, Spiritus vitalis, corpus univerfa-
liter quoque exinde languet; proinde talis panacea non
hunc saltem leviolem, sed alios quoque graviores & letha-
les morbos tollet, aut emendabit; de qua videatur elegan-
tissimum. *Basil. Valentin. de Antimon. in Curr. Triumph. scriptum cum
optimis Excellentiss. Kerkringii Notis; sic & libellus de rebus Naturali-
bus & supern. in C. de Spiritu Mercurii, aliq. Viri istius aurei prorsus
tractatus.* Dum verò ex millenis, qui sacrae huic medicinae
dant operam, vix unus ejus sit inventus possessor, nec tali
divino munere ditatus tam liberalis sit erga proximum, ut
eidem hoc in necessitate suppetias ferat, itaque ad particu-
laria erit confugiendum, quae aut virtute manifestâ vel sin-
gulari qualitate opem afferunt haut inanem. Euporistorum
instar à plerisque laudantur Bezoartica, Alexipharmaca; ex
Auro praecipue ut & caeteris metallis praeparata: Salia ex di-
versis Regnis. Haec tamen non citra selectum praescribenda;
quaedam enim eorum sunt fixa, quaedam volatilia, quaedam
agunt absorbendo, & praecipitando, & hinc non indifferen-
ter concitatiore sanguinis, seu rectius, Spiritus in sanguine
motui opponenda veniunt. Si corpus patientis est caco-
chymicum, densiorique cutis habitu, ita, ut ex nimia san-
guinis ebullitione colligam obortos & morantes intra cor-
pus halitus, alcalina fixiora, terrea, ut: Antimon. Diaphor.
C. C. ut Lap. Bezoar, Bolus Armen. Terra Sigillat. Be-
zoard. Minerale. Martial. &c. cum reliquis absorbendo &
resolvendo agentibus. Sin verò corpus affectum salvâ gau-
det transpiratione, nec torpidus seri motus in eo advertitur,
sed tantummodò partes sanguinis Salinae & Sulphureae pro-
pter nimiam effervescentiam & ebullitionem liberæ factæ,
vel diluentia Aquea, ut Aquæ destillatæ Galen. frigidiores,
vel fixantia & obtudentia acida, ut: Spir. Vitriol. Mistura
simplex, Tinctur. Bezoard. cum Spir. Salis vel alius acidi
accessu, & quæ plura Dispensatoria exhibent, tutò offerri
poterunt. At verò, cum hujusmodi Febris frequentissima sit
gulosis, nimiumque & cibi & potus quotidie ingurgitanti-
bus, ante omnia iisdem salutaris erit vomitus ex usu vel A-
quæ Benedict. Ruland. vel Tartar. Emet. Mynsicht. vel Vi-
tro Antimon. in vino generoso infus. & edulcorato.



Pharnaceu-
tico.

XXII. Cœterùm , ratione mitigandi caloris, quilibet hac Febre affectus reponendus erit in locum temperatum , ubi frui liceat aëre vel per naturam vel per artem frigidiusculo , ex irrorato scilicet cubiculo Aqu. Ros. Viol. Nymph, &c. seu strato pavimento Fol. Ros. Plantagin. Nymph, &c. Cibus sive planè vitandus post præviam nimiam repletionem , sive paucus , coctoque facilis sumendus , alteratusque Emulsion. Sem. Melon. vel Succo Citri & Fol. Endiv. Cichor. &c. Pro Potu inservire poterunt Alterantia , tam ex Syrupis , ut Syr. Acetos. simpl. d. Endiv. d. Cichor. d. Portulac. Nymph. d. Acetosit. Citri , d. Limon. Oxysacchar ; quàm ex Aquis ex. gr. Acetos. Endiv. Lactuc. Plantag. Rosar. Somnus erit conciliandus , quietique se dandum , applicatis vel futuræ coronali Oxyrrhodino simpl. seu cui oleum Nymph. Papav. sive Unguent. Popul. aliquid admistum sit ; vel temporibus & fronti Epithemat. ex aquâ Ros. Borrage. Bugloss. lactuc. Acetos. Plantag. cum sem. Papav. errat. & pulv. spec. Diamargar. frig. Corall. Santal. Nec nocebit insidere Balneo Aquæ dulc. frigidiusculæ vel. lavare pedes Herb. Rorismar. Salv. Beton. Parietar , Flor. Lavendul. Pæon. Irid. Illyr. Capit. Papav. alb. parum incoctis. Alvus prætereà adstrictior aperiatur vel Clystere emolliente ex Unguent. Clysmat. Mell. Ros. Electuar. lenitiv. & Jur. carn cum dissol. ovi Vitelli ; vel Pharmaco per os assumpto leniente , ut : Electuar. Tamarind. Noriberg. seu Pulv. Diasenn. Montagn. seu Passul. Laxativ. Noriberg. Tandem ventriculus iterum confortetur , Diacydon. simpl. Cortic. Citr. condit. Zinzib. Myrobal. condit. extrinsecus inungatur Ol. Mastich. Nardin. vel Absynth. &c. Alia semper atque alia pro causæ diversitate prudens Medicus in patientis salutem feligere & adhibere noverit.

XXIII. Hisce proinde finio, spe plenus, tore, ut , quæ nunc in lucem protuli , benevolus Lector, imperfectiora adhuc, pro sua bonitate eò usque foveat, modesteque judicet, donec magis adulta & elaborata plenum apud alios meruerint applausum ; qualia favente divini Numinis gratiâ cum eadem vitæ usuram longius indulserit, studiaque mea altius promoverit, proditura tandem spero & polliceor,

D. S. L. H. G.



*S*piritus est qui cuncta fovet, qui recreat
artus

Fessos, & *Vita* stamina prima jacet.
Si perit *hic*, mea *Vita* perit, morbi que se-
quentur,

Si pede fat tremulo *Spiritus* iste stabit.
Felix ô nimium PAULI! qui *sideris* hujus
Vim nôsti doctâ deproperare manu:
Artubus ut validis valeas mox dicere plura,
Sunt *Animi* & *Vita* candida vota meæ.

Hic Nobilissimo DN. CANDIDATO
applaudere v.

JOH. JACOBUS HARDERUS, D.
& Profess. Basil, Acad. Cur.

F I N I S.




ULB Halle 3
004 081 781



1017

Sb.





DISPUTATIO INAUGURALIS
PHYSICO-MEDICA

32
2 18
1681, 1

DE

CALIDO INNATO

SEU

SPIRITU CORPORIS VITALI

QUAM

PROVIDENTE NUMINE SUPREMO
JUSSU ET AUTORITATE
AMPLISS. EXCELLENTISS. ET GRATIOSISS.
MEDICORUM ORDINIS
IN CELEBRI ET PER-ANTIQUA
RAURACORUM ACADEMIA

PRO

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS
PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS
RITE ET LEGITIME
OBTINENDIS
SOLENNI PHILIATORUM EXAMINI
SUBMITTIT

MICHAEL PAULI

LUBENA-SILESIUS

AD D.VI JUNII A. O. R. M.
M. DC. LXXXI.



BASILEÆ TYRIS JACOBI BERTSCHLI

